



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XV. V. sint singula peccata, quoad numeru[m] fideliter confitenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

interroget non aperte, sed dicat; cogitasti aliquando de hoc? Si dicat, etiam; quærat ulterius; & consensisti? Si dicat, etiã: Procedat, dicens, & fecisti? Quo dicente, etiam, vel non, nihil amplius interroget.

Tenetur ne obliuiosus peccata sua scribere, quò eorum in Confessione meliùs recordari possit?

Quæstio XIII.

NON; quia non est maior necessitas Confessionis quàm contritionis; sed ad contritionem habendam non oportet peccata scribere (sufficit in generali conteri de obli- tis) Ergo nec ad Confessionem requiritur id. Nec enim oportet iugum Domini reddere grauius, satis est, quòd quando confitetur, operam det, vt recordetur peccatorum. Et præterea rarissimè contingit profectò, quòd aliquis, habens curam animæ suæ, obliuiscatur alicuius peccati mortalis.

Respõsio.

Suntne singula peccata, quoad numerum, fideliter confitenda?

Quæstio XV.

NUMERVS peccatorum est de necessitate Confessionis, vt scilicet quisque singula fideliter confiteatur: Quilibet enim tenetur confiteri omnia peccata sua; sed qui non confitetur numerum, non confitetur omnia.

Respõsio.

F. peccata.

Caput III. De Qualitate

peccata sua : Ergo tenetur eum confiteri, aliàs effèt fictio.

Sed, utrùm iste numerus sit determinatè dicendus, putà, furatus sum decies, iuravi falsum millies &c. Respondetur, quòd numerus peccatorum ideò manifestari debet, vt sciat Confessor, à quo debeat absoluerè, & qualitatem pœnitentis; & quia ad hoc parùm præstat, quòd Confessor sciat, an sint decem, vel vndecim; ideò non est exquisitè numerus perquirendus.

Dicendum ergo PRIMO, quòd quicumq; sciuerit determinatè certum numerum peccatorum suorum; verbi gratia, si certò sciat, quòd peccauit decies, tenetur dicere determinatè, se decies peccasse hoc peccato: Quia aliàs celaret aliquod peccatum, & effèt fictio: vt si diceret, se fecisse aliquod peccatum nomine, & sciret certò, quòd fecisset decies.

SECUNDO, non est necessarium, magnam adhibere diligentiam ad cognoscendum distinctè certum numerum peccatorum. Verbi gratia, recordatur aliquis, & scit sese falsum iurasse multoties, semel in qualibet septimana, plùs mintisue; & si huic cogitationi immoraretur diutius, fortè posset reperire certum numerum; dico, illud non esse necessarium: Nam licet exactum non assequatur suorum peccatorum numerum, nihil tamen impeditur eorum, quæ sunt post Confessionem faciendæ: Non enim

enim impeditur Absolutio, quia sufficit illa notitia; nec pœnitentia, quia non est imponenda ad æqualitatem, cum sit arbitraria; nec etiam consilium. Satis est igitur, si certum numerum pœnitens consequi nequeat, ut species peccatorum distinctas confiteatur, cum qualicunque coniectura numeri, ex circumstantiis peccatorum petita.

TER TIO, aliquando non est necesse adhibere diligentiam ad sciendum numerum. Verbi gratia, est meretrix, quæ fuit in lupanari decem annos, nunc conuertitur, & vult confiteri; satis est, si dicat peccata fornicationis hoc modo: Mansi in lupanari per decem annos, admittens cunctos; neque enim potest clariorem eius generis peccati facere manifestationem Confessario. Et idem de concubinario sentiendum est, nec non de illis, qui frequentissimè blasphemant; satis est, si dicant, hanc suam fuisse consuetudinem; ne faciamus eos mentiri. Et eodem modo de circumstantia magnitudinis rei furatæ; non est opus, ut ad vltimum vsque quadrantem cognoscatur rei precium aut valor.

Teneturne quis illud peccatum in particulari confiteri, cuius post factam iam Confessionem, recordatur, se oblitum esse?

*Quæstio
XVI.*

F 2

Si error